De novo parturientium lecto praemissa brevi artis obstetriciae historia.

Dissertatio inauguralis medica

quam

Gratiosi medicorum ordinis

auctoritate

in academia Lipsiensi

ad summos

in medicina, chirurgia et arte obstetricia

honores rite capessendos

illustris ICtorum ordinis venia

Die XXIX. M. August. A. MDCCCXLVIII.

publice defendet

Auctor

AEMILIUS RICHARDUS PFAFF.

Budissinensis

Medicinae Baccalaureus.

Cum tabula aenea.

Lipsiae.

Typis Ernesti Stangii.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Viro

excellentissimo, experientissimo, amplissimo

Carolo Ernesto Bock

Philosophiae, medicinae, et chirurgiae Doctori, in Universitate litterarum Lipsiensi anatomiae pathalogicae P. P. E. etc. etc.

hunc libellum

grati animi documentum

esse voluit

Auctor.

Libri quibus usus sum in conscribenda historia artis obstetriciae.

Eduard Casp. Jac. v. Siebold. Versuch einer Geschichte der Geburtshilfe. 1 Band. Berlin 1839.

Pierre Sue (le jeune) essays historiques littéraires et critiques sur l'art des accouchemens ou recherches sur les coutumes, les moeurs et les usages des anciens et des modernes dans les accouchemens etc. 2 Voll. Paris 1779.

Joh. Zachar. Platner prolusio de arte obstitricia veterum. Lips. 1735.

Hippocratis Aphorismi cum commentar. perpet. ed. Joh. Trimmius. Bremen et Leipzig 1744.

L. B. S.

Qui artis alicujus a prisca aetate profectae, origines atque primordia perscrutari studet, nequaquam facili negotio ex rudi indigestaque mole traditionum, quibus recte fides haberi nullo modo potest, distinctam atque ab opinionibus temere conceptis prorsus liberam componere valebit historiam, quippe quum non raro, ubi ex scriptis veterum antiquissimorum temporum historiam enarrantium certa et vera momenta haurire non amplius posse arbitratur, ad conjecturas statuendas confugere coactus sit. Quid mirum igitur, si artis obstetriciae historiam scripturus, quoniam paene nihil certi de hujus artis origine a veteribus delatum est nobis, suas tantummodo de obstetriciae primordiis persequitur opiniones? Ut autem tantum istud spatium ab origine artis obstetriciae usque ad nostros dies facilius animo comprehendamus, totum spatium in certas periodos dividamus necesse est. Antiquissimis temporibus medicos partim parvam tantummodo rationem habuisse artis obstetriciae, partim eam prorsus neglexisse, satis notum est.

Seriore tempore haec ars a chirurgis pro parte chirurgiae habita, non satis accurate dijudicata et nonnisi quoad operativam partem exculta est. Recentiore tempore ab initio saeculi decimi octavi tandem viri docti vim et gravitatem obstetriciae intelligere coeperunt; itaque ars nostra brevi tempore valde locupletata et illustrata est. Sicut autem historia universalis plerumque in tria tempora dividitur, ita etiam in tota artis obstetriciae historia tria spatia oriuntur, nimirum historia priscae, mediae et recentioris aetatis. Primum spatium historiam ab antiquissimis temporibus usque ad Arabes sive usque ad saeculum septimum p. Ch. n. continet; alterum spatium: a saeculo septimo usque ad initium saeculi decimi octavi; tertium denique stadium a saeculo decimo octavo usque ad nostros dies procedit. Ceterum L. B. ut aequo animo de hisce judicet, observantissime oro rogoque.

Ab antiquissimis temporibus usque ad saeculum septimum p. Ch. n.

Sunt, qui putent, historiam artis obstetriciae easdem origines habere atque historiam medicinae universalis. Tantum autem abest, ut haec opinio vera sit, ut certis argumentis et rationibus facile possimus comprobare, artem ob-

stetriciam prius ortam esse, quam artem medicam. Homines enim, quorum bona valetudo turbata est, arte medica utuntur eo consilio, ut corporis conditio aut causis internis aut externis immutata ad normalem reducatur statum. Ars obstetricia autem ad normalem mulieris statum pertinet maxime id spectans, ut quidquid mulieri parturienti noxium esse possit, abstineatur et partus bene procedat. Ac certe nemo erit, qui contendere audeat, mulierem parturientem pro aegrota esse habendam. Semper aliquis parienti auxilio esse debet, etiamsi omnia justo modo processerint, et ad excipiendum infantem, et ad dissecandum funiculum umbilicalem; et hoc tamdiu jam factum est, quamdiu homines foetus ediderunt. Verum enim vero ex omnibus scriptis veterum de hac re disserentium satis apparet, homines antiquissimis temporibus non tam multis morbis fuisse obnoxios, immo plerumque usos esse bona corporis valetudine usque ad diem supremum, et si quis in morbum inciderit, a natura nullis medicamentis adhibitis aegrotum esse sanatum. Artem obstetriciam autem jam primos homines quodammodo exercuisse, nemo infitiabitur, quamobrem *Joh. Zachar. Platner* Adamum principem *τῶν μαιευόντων καὶ τῶν ὀμφαλοτόμων* appellat, nam primae parienti mulibriter ingemiscenti nemo opem ferre potuit praeter eum. Ex antiquissimorum scriptorum monumentis discimus, feminas solas parturientibus adstitisse, nam verecundiam muliebrem de-

decus sibi a virorum ministerio metuisse, non dubium est. Exposuerunt veteres aegrotos morbis perniciosis laborantes in vias publicas, ut, si quis accederet illorum morborum curationis peritus, variis consiliis et medicationibus aegrotos conservaret. Mulier autem, si parturientem sese putabat, ad intimum et remotissimum conclave recedebat, dolores suas nulli querens nisi feminae experientia doctae soli auxilianti. Ita per multa saecula feminae artem obstetriciam exercuerunt. In Sacri Codicis primo libro, qui rerum orgines recenset, commemorantur obstetrices, quarum alteri Syphra, alteri Phya nomen erat. Etiam in tota Mythologia Graecorum deas, quarum Eileithyia primaria fuerit, obstetricum munere functas esse, inter omnes constat. De arte obstetricia Israëlitarum vetus testamentum nos certiores facit, sed ex illis locis intelligimus artem nostram tunc temporis admodum imperfectam fuisse. Obstetrices nullam neque de pelvi muliebre, neque de mechanismo partus habuerunt cognitionem, quamobrem omnia naturae committere consueverunt, nil nisi patientiam et quietem parturienti suadentes. Ita non dubium est, quin multae parturientes, quibus auxilium operativum opus fuerit, propter ignorantiam atque cunctationem obstetricum sub laboriosissimis nixibus acerbissimisque doloribus auxilio destitutae animam efflaverint.

Graeci, qui in litteris artibusque excolendis certe

principem inter omnes gentes antiquiores locum tenebant, etiam arti obstetriciae majorem auctoritatem tribuerunt, quamvis obstetricum agendi ratio nobis non satis nota sit. Ex scriptis Hippocraticis autem, primis monumentis artis medendi Graecorum, discimus, obstetrices artem suam exercentes jam illis temporibus certas leges secutas esse, et medicamina ordinavisse, et diaetam praescripsisse, et certis operationibus obstetriciis usas esse. Etiamsi Graecis nulla lex data sit Romanorum legi regiae similis, tamen sectionem caesaream post matris mortem saepius esse institutam, satis probabile est. *Lucianus,* qui in Dialogis deorum Mythologiam Graecorum in ludibrium vertere studet, commemorat sectionem caesaream dicens: *ἐμὲ δὲ κελεύει ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα τῆς γυναικός, ἀνακομίσαι ἀτελὲς ἔτι αὐτῷ τὸ ἔμβρυον ἑπταμηνιαῖον.* Ex hoc aliisque locis facile apparet, hanc operationem antiquissimam esse; nusquam vero nobis dictum est, num obstetrices, an medici, an servi eam perfecissent. Obstetrices tamen apud Graecos non ex infima multitudine fuisse, ex eo disci potest, quod *Socrates,* magnus ille philosophus, dum veritatem per quaestiones propositas elicere laborat, cum obstetrice comparetur, et is se filium esse obstetricis generosae Phaenaretae profiteatur.

Venio nunc ad illustrissimum antiquitatis medicum, qui primus praecepta et doctrinam artis medicae litteris manda-

vit. Quemadmodum ars nulla est, quae inter antiquos auctore suo non gaudeat, ita ars medica *Hippocrate* merito gloriatur, qui peritissimus naturae interpres veram morborum medicinam non solum primus aequales suos docuerit, sed praecepta etiam tam perspicua et certa posteritati reliquerit, ut omnium gentium saeculorumque consensu medicorum princeps et magister sit censendus. Vixit *Hippocrates* saeculo tertio a. Ch. n; sed non omnia scripta, quae Hippocratica vocantur, auctore Hippocrate gaudent; alia enim a filiis ejus *Thessalo* et *Dracone*, alia ab hominibus ignotis composita sunt. Nihilosecius viri docti judicabant, quae genuina essent, quaeque subdititia atque inter illos principem locum obtinent Aphorismi. Ibi multa de morbis mulierum, de menstruationis anomaliis, de abortu, de signis conceptionis etc. dicta sunt. Quamquam nonnullae opiniones ridiculae in Aphorismis insunt, ut praenotiones, utrum puer, an puella utero feratur, et alia hujus generis, tamen facile ex iis intelligimus, Hippocratem multum cogitavisse de arte obstetricia; gravissimum jam cognovit signum graviditatis dicens: „quaecunque uterum gestant, his osculum uterorum clausum est,“ unde concludere possumus, explorationem digitalem ab Hippocrate esse institutam. In optimo ejus opusculo de aëre, aquis et locis atque in secundo Praedictorum libro nonnulla de conceptione, de uteri sana perversaque conditione, de mammarum

functionibus commemorantur. Omnia autem Hippocratis scripta nos docent, etiam illis temporibus obstetrices solas parturientibus adfuisse neque nisi ad perturbationes dynamicas sanandas medicorum auxilium expostulatum esse, quam ob causam tantummodo physiologico-pathologicam artis obstetriciae partem paululum excultam esse verosimile est. In libris Hippocraticis subdititiis (de septimestri partu, de octimestri, de genitura, de natura pueri, de morbis mulierum, de sterilibus) non pauca ad artem obstetriciam spectantia inveniuntur. Normalis ibi vocatur partus, si caput praemittitur; abnormis, si pedes aut genua foetus antecedunt. Secundinas autem, si sponte post partum non mox ejiciantur, minime removendas neque placentam digitis immissis solvendam esse, in illis libris praescribitur, nam plerumque putrescere dicuntur secundinae sexto aut septimo die, quo facto sponte exeant. Commemoratur praeterea perforationis methodus satis rudis, atque *μαχαίριον*, culter falcatus, *πίεστρον* forceps ad ossa confringenda, *ἐλκυστήρ*, uncus ad extrahendum foetum ibi describuntur. Porro superstitiosa et vana superfoetationis theoria exponitur. Haec de scriptis Hippocraticis subdititiis sufficiant, Videmus autem, unam tantummodo medicos perfecisse operationem obstetriciam, exsectionem foetus adhibitis illis tribus instrumentis. Quid igitur mirum est, quod medici ar-

tem obstetriciam tunc temporis exercentes tam rudem, parvi aestimati sunt?

Aristoteles in historia naturali animalium nonnihil de catameniis mulierum et de graviditate bene exponit; quae autem de sterilitate, de anatomia genitalium muliebrium, de partu serotino litteris mandavit, partim imperfecta, partim inepta sunt.

Transgredior nunc ad *Romanos*, qui ab initio et medicinam et artem obstetriciam parum aestimaverunt, propterea quod primi eorum medici e Graecia Romam venerant, qui artem suam satis mancam impie et inhoneste exercuisse dicuntur, de qua re Plinius copiosius verba facit. Mulieres gravidae a numinibus divinis auxilium implorare, iisque vota et sacrificia facere solebant. Privilegiis multis gravidae utebantur legitimis, neque morte mulctabantur, neque ad judicium vocabantur, si flagitium aliquod admiserant. Parturientibus obstetrices simul cum servarum cohorte opem ferebant, easque consolabantur. Neonati autem ab ancillis lavati nudi in solo deponebantur, quo facto pater filium vel filiam agnoscens solemniter tollebat servisque tradebat vestibus tegendum. A nutricibus deinde liberi educabantur. *Favorinus* primus puerperis Romanis lactandi officium commendat, dicens*): „Oro te mulier integram

---

*) Aul. Gellius Lib. XII. c. I.

matrem esse filii: quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab se abjecisse? aluisse in utero sanguine suo nescio quid quod non videret: non alere nunc suo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? an tu quoque putas naturam feminis mammarum ubera, quasi quosdam naevulos venustiores, non liberum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim quod a vobis scilicet abest, pleraeque istae prodigiosae mulieres fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem, arefacere et exstinguere cum periculo quoque aversi corruptique lactis laborant, tamquam pulchritudinis sibi insignia devenustet." Praeterea commemoranda est lex regia a *Numa Pompilio* Romanis data, quam in pandectis descriptam legimus. Vetat enim lex regia, mulierem quae praegnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.

Aulus Cornelius Celsus, qui aetate Augusti Romae vixit, nonnulla de re obstetricia nobis tradidit. Ubi obstetrices partum sublevare et perficere non poterant, chirurgi arcessebantur, ut chirugica ope adhibita feminas partu liberarent. Hi matris vitam ante omnia conservare tentantes, foetus viventis non magnam habebant rationem. *Celsus* ex scriptis Hippocraticis optima quaeque enotavit, praeter-

ea autem multa nova addidit. Loquitur de versione foetus in caput et in pedes, qua cum posteriore operatione extractionem foetus statim conjunxit. Optime deinde describit, quomodo exploratio digitalis et quomodo ad versionem faciendam manus inducenda sit. Inter eos scriptores, qui postea de re obstetricia disseruerunt, *C. Plinius Secundus major*, *Rufus Ephesius*, *Soranus*, *Moschion* memoratu digni sunt. Invenimus in scriptis eorum anatomicam partium genitalium muliebrium descriptionem partim veram, partim ineptam; fundus (*αὐχήν*), collum (*τράχηλος*) et orificium uteri (*τραχήλου τὸ στόμα*) jam commemorantur. *Soranus* multa de signis virginitatis et de morbis mulierum narrat. *Moschion* denique, qui „de mulierum passionibus" scripsit, primum enchiridion obstetricibus tradidit, in quo praeter anatomicam partem, etiam de victu et regimine gravidarum, parturientium et neonatorum simulque de obstetricum officiis nonnihil affert. Obstetricem esse dicit mulierem omnia, quae ad feminas spectent, edoctam, immo et artis ipsius medendi peritam: ita ut illarum omnium morbos commode curare valeat. Facultas concipiendi secundum *Moschii* doctrinam cognoscitur ex menstruorum fluxu, ex justo uteri situ, ex corporis totius animique bona valetudine; conceptio autem ipsa facta videtur esse, ubi coitum sequatur horripilatio, ubi orificium uteri claudatur, ubi sperma virile remaneat. Deinde etiam ibi sedilis obstetricii, cathe-

drae similis cum semilunari excavatione, ut illuc foetus excidere possit, mentio fit. Jam Moschion docet, duas ligaturas funiculi umbilicalis esse faciendas, inepte autem addit, ne, quae peperit ipsa, haemorrhagiam sustineat. Praecepta denique nonnulla puerperarum regimen atque lactationem spectantia exponuntur.

Sub finem saeculi secundi p. Ch. n. celeberrimus Romanorum tunc temporis medicus, *Claudius Galenus* vixit, cujus libri postea tanta auctoritate gaudebant, ut per quindecim fere saecula integra praestantissimi nec unquam superandi haberentur. Quaestiones anatomico-physiologicas de utero, de generatione et de conformatione foetus, mirabili ingenii acumine instituit, etiamsi superstitiosam Hippocratis opinionem sequeretur, pueros in dextro, puellas in sinistro uteri latere formari. Praeterea etiam inepte de duabus arteriis duabusque venis in funiculo umbilicali obviis loquitur. In libris de uteri dissectione, de semine, et de foetuum formatione, de septimestri partu et aliis multae graves atque egregiae opiniones artem obstetriciam spectantes inveniuntur. Galenus jam varias illas mutationes cervicis uteri gravidarum observavit et optime foetuum involucra descripsit. Porro de consensu uteri et mammarum disseruit. Sed longum est singulas *Galeni* sententias perlustrare: certe semper ex ejus libris haurire poterunt artis obstetriciae periti.

Sicut saeculo tertio et quarto p. Ch. n. respublica Romanorum magis magisque cecidit, ita etiam litterarum artiumque cultus mox labefactatus est. Scripta virorum doctorum jussu imperatorum publice igni deleta, auctores ipsi patria pulsi sunt. Idcirco pauci exstiterunt viri, ex quorum scriptis de statu artis obstetriciae judicium facere possumus. Oribasii, Nemesii, Prisciani, Tertulliani, Aëtii, Pauli Aeginetae libri ad nos delati sunt, sed artem obstetriciam illis temporibus nullo modo perfectam esse intelligimus, immo crudeliter foetus, novis variisque instrumentis necati et extracti sunt, propterea quod opiniones perversae pervulgatae erant philosophorum, inprimis Diogenis, qui putabat, inanimata nasci animalia, sed cum calore: atque insitum calorem, simulatque natum est animal, animam in pulmones attrahere. Sed non est, quod de omnibus illorum virorum opinionibus disseramus: chirurgi artem obstetriciam tunc exercere solebant ita, ut artis nostrae auctoritas valde imminuta sit.

A saeculo septimo usque ad initium saeculi decimi octavi.

In illis regionibus terrae, ubi ante nonnulla saecula artes litteraeque laete floruerunt, ne vestigia quidem amplius

inveniuntur. Arabum imperium fere maximam partem orbis terrarum veteribus noti continet, quare artium et litterarum cultus inter Arabes efflorescit. Artem medicam magni aestimabant imperatores atque Al Mansur, humanissimus Arabum princeps, jam saeculo octavo in urbe Bagdad academiam medicam instituit. Serapion sive Janus Damascenus nonnullos de arte obstetricia libros nobis reliquit. Jn scriptis ejus „de mulieribus, quae conceperunt, quomodo possint cognosci gravidae et quid eis conveniat“ et „de mulieribus, quae difficulter pariunt“, multa de conceptione dicta sunt, quae etiamnum in novissimis artis obstetriciae enchiridiis inveniuntur. Ubi autem de partu abnormi loquitur et de iis, quae impedire solent foetum maturum, sane variae opiniones perversae occurrunt. Rhazes, qui omnium medicorum illius populi tunc celeberrimus videtur fuisse, animum ad studium artis medicae et philosophiae applicabat tanto ardore et tam prospero successu, secundante praesertim aetate, quae ipsi profectior contigit, ut earum, quas exercuit, artium ad perfectionem atque summum fastigium procederet, communisque fieret orientis praeceptor, ad quem veluti digito demonstratum, scientiae cupidi ablegarentur, et ad cujus auctoritatem rebus in controversis medici provocarent. Arabes autem, quos ab omni aetate severiores uxorum custodes fuisse constat, obstetricibus majorem auctoritatem tribuisse, quam medicis artem

obstetriciam exercentibus satis probabile est; hanc ob causam istae feminae non solum parturientibus opem tulerunt, sed, si etiam aliis malis, quae circa mulierum verenda incidere solent, et manus auxilium desiderant, medendum fuit, medicos consilia dedisse, medicas vero manus admovisse certum est. Avicenna, quem viri docti „principem medicorum" vocabant multa nova de re obstetricia nobis tradidit. Ligaturas funiculi umbilicalis quatuor pollices ab umbilico faciendas esse dicit; infantem quotidie esse lavandum, summam denique munditiem commendat. Mater ipsa mammas suas infanti praebeat necesse est, quod si non fiat, variis facile obnoxiam esse morbis puerperam, recte contendit. Jn libro de generatione embryonis Avicenna Aristotelis et Galeni praecepta sequitur, locutus autem „de impraegnatione et de partu" diaetam aptam gravidis praescribit, ut impediat, quominus abortus accedat. Praeterea etiam de dilatatione artificiosa orificii uteri, de adhibendo unco de extrahendis secundinis verba facit. *Abulkasem* et *Averrhoës* de versione foetuum aut in caput, aut in pedes, de perforatione et exsectione foetus disseruerunt. Quamquam autem plures viri docti, quorum illustrissimos commemoravimus, rei obstetriciae in scriptis suis mentionem fecerunt, tamen in universum artem per studia Arabum non valde esse locupletatam, minime mirandum est, propterea quod medici parturientibus rarissime auxilio erant, itaque accura-

tam de mechanismo partus cognitionem sibi parare non poterant.

Interea in occidentali terrae parte, ubi artium litterarumque cultus fere exstinctus erat, studium artis medicinae et chirurgiae denuo efflorescere videbatur, quamquam eo usque progressa erat consuetudo medicinam exercendi, ut et monachi et canonici lucri causa medicinam addiscerent. Monasterium in monte Cassino a Benedicto conditum, nihil aliud erat, quam academia medica, ubi arte medica et chirurgica instruebantur monachi, qui per certum aliquod tempus ibi versati in provincias migrabant, ut hanc artem suam exercerent. Eodem modo multis discipulis gaudebat schola medica Salernitana, quae autem saeculo decimo quarto ab academia Bononiensi et Parisiensi superata est. Ars obstetricia illis temporibus a viris doctis prorsus neglecta est et quaecunque de hac re scripta nobis relicta sunt, nil novi continent. Tunc medicus quidam, cujus nomen oblivione dignum est, artem obstetriciam viros dedecere dixit. *Mondini de Luzzi, Nicolaus Bertrucci,* maxime chirurgiae operam dabant, *Guy de Chauliac* autem artis obstetriciae rationem habet. Cohortatur obstetrices iisque praescribit, quomodo se gerant, ubi partus male procedat. Deinde loquitur de sectione caesarea. Incisionem in sinistro latere cum rasorio secundum longitudinem faciendam esse dicit, quia pars illa magis libera sit, quam dextra

propter hepar. *Petrus de la Cerlata* primus fuit, qui operationes obstetricias manu sua instituit, nam de semetipso dicit: „Ego saepe in hoc casu perforavi caput, et digitum posui in capite et ipsum extraxi.“ Narrat etiam, se sectionem caesaream fecisse in linea alba. Quam superstitiosas et ridiculas ceremonias autem illis temporibus fecerint parturientes, inter omnes constat. Initio saeculi decimi quinti Valescus Tarentinus nonnulla de arte obstetricia scripsit, praecipue „de affectibus partium generationi serventium, de difficultate partus, de regimine praegnantium, de secundarum retentione.“ Mulier, inquit, in virginitate perseverans usque ad annum vicesimum quintum, si deinde vel paulo ante concipiat, difficulter primogenitos suos pariet. Primus de erroribus obstetricum verba facit, ex quo libello intelligimus, obstetrices tunc arbitrio suo instituisse versionem foetuum, extractionem, perforationem aliasque operationes. *Johannes Platerius* et *Jacobus Forliensis* astrologicas cum re obstetricia conjunxerunt observationes. Alii auctores obstetricibus commendant, ut vehementissimas conquassationes coxarum instituant, ubi perversum foetus situm cognoverint. Vae miseris feminis tunc parturientibus! —

Joh. Mich. Savonarola de difficultate partus agens, solum naturalem situm esse dicit, ubi caput foetus antecedat; appellat partum non naturalem, sed propinquum naturali, ubi pedes antecedant. Mulieres partum sibi promo-

vere facilioremque reddere dicit saltationibus et vehementibus corporis motionibus. *Antonius Benivienius* optime de abditis morborum causis scripsit et ipse operationes obstetricias exercuisse dicitur. Adsunt ex illo tempore nonnulli libri, tabulis pictis instructi, ubi etiam forma uteri delineata est. *Alexander Benedettus* multas dissectiones anatomicas cadaverum humanorum instituit atque descripsit, quare *Hallerus* eum „restauratorem anatomiae“ vocat. Initio saeculi decimi quinti *Eucharius Rhodion* de partu hominum scripsit. Vario situ foetum in utero versari recte commemorat. Quid parturientibus maxime agendum et quomodo aegre parientibus subveniendum, quomodo secundinae a parientibus sint eximendae, si sponte non discesserint, non inepte exponit. Nec minus *Ambrosius Paraeus* laudandus est. Sectionem caesaream semper exitum letalem habere contendit, quam idcirco nunquam instituendam esse dicit. Forcipem ad extrahendas molas et varia uteri specula describit. *Franciscus Rousset* bonum libellum de hysterotomia nobis reliquit. Quinquies hanc operationem se fecisse narrat, cui rei autem fidem habere non possumus. Tantis laudibus de hac operatione locutus est, ut multi chirurgi eam instituerent, — sed eventus non exoptatus erat. *Fabricius Hildanus* in scriptis suis de tristi statu artis obstetriciae conqueritur. Vituperat fascias, quibus obstetrices involvere solebant infantes et noxias hujus malae consuetu-

dinis sequelas bene enarrat. Forcipem novam invenit. Praeterea contendit, pelvim parturientium distractis cartilaginibus distendi. *Felix Platerius* descriptionem partium genitalium muliebrium, tabulis aeneis instructam, edidit; de partu serotino et de superfoetatione disseruit; historiam denique graviditatis abdominalis enarrat; abscessu per congestionem in abdomine formato, singula foetus ossa suppuratione remota sunt. *Thomas Bartholinus* egregie de partu humano et de secundinarum retentione scripsit; negat superfoetationem unquam locum habuisse atque theoriam hancce ineptam esse argumentis comprobare studet. Ceterum de obstetricum officiis copiosius disseruit. *Harvey*, illustrissimus illius temporis medicus, qui primus sanguinis circulationem cognovit, bene de conformatione et nutritione foetuum judicavit. *Mauriceau* artem obstetriciam Parisiis per multos annos exercuit, in eaque arte eminuit. In anatomia mediocris, neque felix in novis instrumentis inveniendis maximam laudem meruit, quod foetum male de utero exitum molientem in pedes dirigendum esse docuit, jussit etiam partum praecipitari, quoties metrorrhagia periculosa accesserit. *Johannes Bohn*, Lipsiensis, optimo successu arti obstetriciae operam dedit. In libro suo de abortu salutari demonstrat, nullo alio modo haemorrhagiam uteri posse sisti, quam ita, ut abortus excitetur. Sibi persuasum esse dicit, uterum non propter magnitudinem foetus maturi

ad contractiones concitari, sed propterea quod foetus maturus sufficiente oxygenii copia careat. Dissectionibus institutis invenit, uterum gravidum in parietibus crassiorem fieri. In alio libro de renunciatione vulnerum perlustrat signa, quibus cognoscere possumus utrum infans post partum vixerit, annon; ibi dokimasiae pulmonum hydrostaticae mentio fit, cui tamen non maximam videtur tribuisse auctoritatem. Superest, ut viri docti Portalius et Ruyschius commemorentur. *Paulus Portalius,* qui artis obstetriciae peritissimus magnis laudibus ornatur, nunquam partum acceleravit ideoque valde vituperavit obstetrices secus facientes. *Fredericus Ruyschius* eodem modo ab auctoribus laudatur. Diligentissimas de uteri structura indagationes instituit, ibique primus fibras musculosas cognovit. Obstetricibus vetat, secundinas extrahere, nisi forte facili negotio possint auferri; nam inversio uteri illis temporibus non raro orta esse dicitur.

Si autem de toto hocce de stadio (a saeculo VII usque ad saeculum XVIII) quoad artis obstetriciae cultum sententiam pronuntiare nobis licet, sane profiteri debemus, artem nostram longo illo tempore parva tandummodo incrementa cepisse.

A saeculo decimo octavo usque ad nostros dies.

Quamquam in hoc ultimo stadio ars obstetricia valde locupletata est, atque imprimis recentiori tempore ad magnam perfectionis gradum pervenit, tamen hanc partem in pauca conferre studebo, ne quis dicat, me duitius commorari in rebus notis ac tritis. Nomen *Deventri*, qui primus hujus aetatis auctor nobis occurrit, etiamnum in arte obstetricia invenitur, nam diametri obliqui aperturae pelvis superioris Deventerici vocantur. Hic medicus bene de obliquo uteri situ disseruit. Sedile obstetricium et pessaria nonnulla describit, quae nunc non amplius commemorantur. *Andreas Levret, Guilielmus Smellie, Stein, Van Doeveren, Baudelocquius* saeculo decimo octavo arti obstetriciae dederunt operam. Ex variis autem sedilibus obstetriciis, quae singuli illi auctores descripserunt, intelligimus, perversas opiniones etiam tunc locum habuisse. Forcipes multae parum accommodatae inveniuntur, quarum tantummodo atrocem *Baudelocquii* junioris *Cephalotriben* commemoremus, neutiquam eam laudantes, immo fabris ferrariis et operariis commendantes.

Transgredior nunc ad novissima tempora. Saeculo undevicesimo permulti viri docti exstiterunt, qui arti obstetriciae operam navarunt, neque vero omnium horum auctorum mentionem facere mihi proposui. Praestantissimos

quosque commemoravisse sufficiat. *Boër*, *Osiander*, *Sieboldius*, *Naegelius*, *Joergius*, *Carus* artem ad eam perfectionem et auctoritatem perduxerunt, qua nunc gaudet. Superest, ut artem obstetriciam nostram paucis perlustremus, qua in re illustrissimi *Joergii* doctrinam sequamur, quippe quae, ut nostra quidem fert opinio, summis laudibus digna sit. *Joergium* quum artem obstetriciam universalem, tum praecipue physiologicam ejus partem locupletavisse, inter omnes constat. Optimam descriptionem pelvis et partium genitalium muliebrium litteris mandavit. De menstruatione et de conceptione novas gravesque sententias tradidit. Superfoetationis theoriam certis rationibus commotus rejicit. Graviditatem nec non foetuum conformationem optimo successu perscrutatus est. Partus mechanismum causasque dynamicas primus omnium auctorum penitus cognovit. Pathologicas graviditatis et partus disquisitiones quam accuratissimas instituit, multas novas atque inauditas morborum causas commemorans. Quoad diaetam et therapiam et gravidarum et parturientium et neonatorum dignus est, quem imitentur, quicunque artem obstetriciam exercent. Praeterea forcipem optimam, perforatorium, alia instrumenta obstetricia ei debemus. Quid multa? Certe per omnia saecula illustrissimi *Joergii* nomen jure meritoque conservabitur!



De novo parturientium lecto.

Sicut medicinae et chirurgiae peritus eo felicior est, quo magis proverbium istud sequitur, simplex veri esse sigillum, ita hoc praecipue etiam de eo dicendum, qui artem obstetriciam exercet. Hanc ob causam illustrissimus Joergius, artem obstetriciam profitentium suae aetatis haud dubie princeps tam prospero successu per longam annorum seriem artem suam excoluit, quippe qui parturientibus auxilians quam simplissimam agendi rationem conjunxerit cum prudentia et habilitate. Docet hic vir, ex quovis lectulo facile posse construi cubile transversum, neque quisquam erit, qui hoc neget. Ita autem mulier parturiens si versio aut alia operatio instituenda est, a cubili suo ad lectum transversum recens paratum manibus transportari debet, quod non sine incommodo mulieris vehementissimis antea defatigatae doloribus fieri potest. Equidem semper istam transportationem aegre ferebam. Diu itaque mecum reputavi, qua ratione incommodum istud tolleretur atque quaestioni huicce, mihi a me met ipso propositae respon-

dere mihi quidem videbatur delineatio figurae, quae huic libello adjecta est. Parturientes, etiamsi omnia bene procedant, hoc lecto uti possunt: sin vero operatio aliqua instituenda est, id quod cuique parturienti facile accidere potest, — demas inferiorem lecti partem atque illico habebis lectum transversum.

Viris artis obstetriciae peritis, lectulum huncce propono, ut ipsi judicent, utrum adhibendus sit in aedibus maeeuticis, annon. —

Explicatio figurarum.

Fig. I. Totius lectuli delineatio.

aaa) pars superior.

bbb) pars inferior.

cc) Unci, cochlea mobili affixi, quibus utraque lecti pars conjungitur.

Fig. II. Lecti pars superior; lectus transversus.

dd) Pulvinar Joergianum excavatione semilunari (ff) instructum.

ee) Cervical,

Fig. III. Lecti pars inferior (vid. Fig I.)

cc) Unci reclinati.

Fig. I.





Fig. II.

Fig. III.



Curriculum vitae.

Natus sum Budissae anno h. s. vicesimo septimo atque ipsis Idibus m. Maji; parentibus gaudeo vivis Godofredo Immanuel patre, vectigalium praefectu; matre e gente Heinicke. Primis disciplinae scholaris germinibus a parentibus imbutus sum. Exemplum patris, qui summo litterarum studio deditus semper in doctrinis versatur, tantam in me puerum habuit vim, ut et ipse studiis ingenuis delectari cupiens, litteris operam navare mihi proponerem. Itaque primum scholas progymnasii Fribergensis frequentavi, deinde anno h. s. XL scholae Torgovanae traditus sum, unde post annum integrum in patriam rediens scholam Budissinam adii. Ibi per IV inde annos a Hoffmanno, Muellero, Jaehnio, Dresslero, Kochio aliisque praeceptoribus litteris imbutus sum.

Anno h. s. XLV ejusque m. Octobr. die XXI in universitatem Lipsiensem receptus numero civium academicorum adscriptus sum Exc. Guenthero t. t. Rectore Magnifico, atque elementis doctrinae medicae et philosophiae principiis eo ordine instructus sum, ut in rebus botanicis et zoolo-

gicis Schwaegrichenius et Poeppigius, in physicis et in anatomicis Excc. Weberi fratres, in logica Exc. Drobischius, in psychologia Magnif. Hartensteinius praeceptores mihi fuerint; praeterea scholis adfui chemicis Excc. Kuehnii atque Erdmanni, physiologicis Exc. Weberi. Ab Excc. Weberis artem corporum dissecandorum accepi, ab Exc. Kuehnio chemiam practicam. De materia medica Exc. Braunium, de pathologia et therapia Excc. Ceruttium et Braunium, de psychiatria Exc. Radium disserentes audivi. Chirurgiae artisque obstetriciae leges et theoreticas et practicas debeo Exc. Guenthero et Ill. Joergio; diagnosticen physicalem Exc. Bockio, quo quidem etiam in obductionibus mortuorum rite instituendis praeceptore usus sum. Scholas clinicas Ill. Claro et Exc. Guenthero ducibus frequentavi; scholam obstetriciam regiam in Instituto Trieriano sub Ill. Joergii auspiciis colui, exercitationes policlinicas medicas Exc. Ceruttio et Braunio; legibus denique medicinae forensis instructus sum ab Exc. Wendlero.

Quibus praeceptoribus omnibus propter insignem erga me benevolentiam et humanitatem gratias persolvo maximas, quantumque iis debeam pio gratoque animo semper recordabor.

In examine pro Baccalaureatu (d. 3 m. Mart. ann. 1847.)
censuram secundam,
In examine rigoroso (d. 5 m. Aug. ann. 1848)
censuram secundam cum laude,
In examine obstetricio (d. 14 m. Aug. 1848)
censuram secundam accepi.

Theses defendendae.

I. Digitalem in hypertrophia cordis adhibitam magis noxiam esse, quam salutarem.

II. Propter pneumoniam venaesectionem nunquam esse instituendam.

III. Febrem puerperalem pyaemiae similem esse.

IV. Menstruationem certum pubertatis signum non esse.

